UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Hieronymi Stridonensis, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Epistolae In Tres Libros distributae

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Coloniae Agrippinae, 1674

XIII. Ad Domnionem & Rogatianum. Quomodo Græcorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37862

Visual Library

XIII. *Hieronymus Domnioni & Rogatiano, quibus comprobat verſionem libri Paralipomenon à ſe factam & illis dedicatam.*

QUomodo Græcorum hiſtorias magis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui à Troade per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam: & inde ad oſtia Tyberis navigaverint: ita ſanctam ſcripturam lucidius intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus ſit, & antiquarum urbium memorias locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde & nobis curæ fuit cum eruditiſſimis Hebræorum hunc laborem ſubire, ut circumiremus provinciam, quam univerſæ Chriſti eccleſiæ ſonant. FATEOR enim mi Domnion & Rogatiane chariſſimi nunquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidiſſe, nec habuiſſe opinionem meam: ſed ea etiam de quibus ſcire me arbitrabar, interrogare me ſolitum. Quanto magis de his, ſuper quibus anceps eram? Orationum itaque veſtrarum adjutus auxilio, miſi librum benevolis placiturum: tamen invidis diſpliciturum eſſe non ambigo. OPTIMA enim quæque (ut ait Plinius) malunt contemnere plerique, quàm diſcere. Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, ſuam conſcientiam recolat, videat ordinem textumque ſermonis: & tunc noſtro labori, ſi potuerit, detrahat.

XIIII. *Hieronymus iiſdem, Præfatur in Eſdræ & Heſter libros, eamque adverſus æmulos defendi cupit,*

UTrum difficilius ſit facere, quod poſcitis, an negare, nec dum ſtatui. Nam neque vobis aliquid imperantibus abnuere ſententiæ eſt, & mag-